Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



IHEVS

et uade. Volo autem hunc nouissimo dare sicut et tibi. An non licet mihi facere quod volo. An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum. Sic erunt nouissimi primi et primi nouissimi. Multi enim sunt uocati pauci uero. Et ascendens ihesus hierosolimam assumpsit duodecim discipulos suos secreto et ait illis. Ecce ascendimus hierosolimam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et condempnabunt eum morte et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum. Et tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum zebedei cum filiis suis adorans et petens aliquid ab eo. Qui dixit. Quid uis. Ait illi. Dic ut sedeant hi duo filii mei. unus ad dexteram tuam et unus a sinistris in regno tuo. Respondens autem ihesus dixit. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. Dicunt ei possumus. Ait illis. Calicem quidem meum bibetis. sedere autem ad dexteram meam uel ad sinistram non est meum dare uobis. sed quibus paratum est a patre meo. Et audientes X. indignati sunt de duobus fratribus. Ihesus uocauit eos ad se et dixit eis. Scitis quia principes gentium dominantur eorum et qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos. Sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri sit uestrum minister. Et qui uoluerit inter uos primus esse erit uester seruus. Sicut filius hominis non uenit ministrari sed ministrare et dare animam suam redempcionem pro multis. Et egredientibus eis secute sunt eum turbe multe. Et ecce duo ceci sedentes secus uiam audierunt quia ihesus transiret et clamauerunt dicentes. Domine miserere nostri fili dauid. Turba autem increpabat eos ut taceret. At illi magis ac magis clamabant dicentes. Domine miserere nostri fili dauid. Et stetit ihesus et uocauit eos et dixit. Quid uultis ut faciam uobis. Dicunt illi. Domine ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum ihesus tetigit oculos eorum et confestim uiderunt et secuti sunt eum.

XXI

Et cum appropinquassent hierosolimis et uenissent bethphage ad montem oliueti tunc ihesus misit duos discipulos dicens eis. Ite in castellum quod contra uos est et statim inuenietis asinam alligatam et pullum cum ea. Soluite et adducite mihi. Et si quis uobis dixerit aliquid dicite quia dominus his opus habet et continuo dimittet eos. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem. Dicite filie syon. Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus sedens super asinam et pullum filium subiugalis. Euntes